





30. 30.  
27. A. ET 27. T. 56  
DISSERTATIONEM

DE

RECTO

OCULORUM

IN

CORPORE HUMANO

USU

VULGO

Von dem rechten Gebrauch der leiblichen Augen.

DIVINIS SUB AUSPICIIS

INCLYTO PHILOSOPHORUM INDUL.

GENTE CONCILIO

D. XXIII. MAJI ANNI MDCCXI.

VENTILABUNT

M. HIERONYMUS Gießmann/

Grosbard, Mifn. Alumn. Elector.

ET

JOHANNES CHRISTIANUS Thielemann/

Nemtaviens. Mifn.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis BRANDENBURGERIANIS.

VIRIS  
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EX-  
CELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMIS  
DOMINIS,

DOMINO  
M. GEORGIO ERMELIO, RECTORI,

DOMINO  
M. IOH. CHRISTIAN. KNAUTHIO,  
COLLEGÆ TERTIO,

DOMINO  
SAMUELI IACOBI, COLLEGÆ QUARTO,  
ET CHORI MUSICI DIRECTORI,  
*Gymnasii, quod Grimmæ est, Electoralis Præ-*  
*ceptoribus longe meritisimis.*

NEC NON  
DOMINO  
M. CHRISTOPHORO HAUPTIO,  
*Schola in civitate Grimmensium Rectori di-*  
*gnissimo,*

*vita olim studiorumque moderatoribus solertissimis,*  
Suis nunc Patronis summopere venerandis,  
*leviorem hanc exercitationem,*  
gratis pro institutionis dexteritate beneficiis-  
que aliis testandi mentem ergo,

*consecræ*  
perpetuus EORUM cultor  
M. HIERONYMUS Giesmann.

PATRONI MAXIMOPERE  
COLENDI.

**R**erum mearum ad Patronos quancun-  
docunque converto oculos, multa multis  
debere me video; *Vobis*, tamen, *Fautores longe a-*  
*sumatisimi*, prima. Adolescentiæ enim per an-  
nos ad optimas quasque artes, ut cætera hic ta-  
ceam, præivistis duces, viamque, qua inceden-  
dum in vita est, monstrastis quam fieri potest  
fidelissime: ut adeo *Vestra* oculi mei repetentes  
merita defixi hæreant eorum in amplitudine &  
numero, animoque ansam suppeditent meditan-  
di compensationem. Nolite igitur indignari  
audaciæ, qua *Vestro* hoc, quicquid est, primi-  
tiarum Academicarum offero conspectui; sed  
solutionis vel minimæ in loco pietatis hoc ha-  
bete officium; de me cæterum statuentes: ele-  
vatis ad DEum oculis digna *Vobis* impetratu-  
rum me esse præmia, Pro quo vel studii vel ob-  
sequii genere *Vestram* apud eundem interces-  
sionem, *Vestriq;* erga me affectus benevoli pollice-  
or mihi & expeto perpetuitatem. Valete!



f. A&Q f.

## PRÆFATIUNCULA.



Ua ipsius cognitio præcipuum hominis est officium tendentis ad felicitatem, ad eamque sensuum externorum requiritur etiam exploratio. Non igitur perdituri nostram videmur operam, de oculis, præcipuas illos inter vindicantibus sibi partes, si dispiciamus prolixius. Non autem in Physicorum transgredi impresentiarum lubet areolas, accuratioremque de oculorum natura diacrisis instituire; sed missa hac pauca, quæ sunt circa oculos corporis observanda homini, commemorabimus officia. DEus autem, lucis ille Pater, de istis agere dum volumus, mentis nostra ita dispellat tenebras: ut, rei hujus ad veritatem que spectant, videamus, perspicuoque illius a tramite ne aberremus.

§. I.

Usum oculorum, qui sunt in corpore humano, dari, præter animi captum oculis, diffiteri, arbitror, neminem, cum DEus & natura nihil fecerit frustra, sed sua cuique producto operi assignaverit obeunda munia ad commodum vel ejus ipsius vel aliorum: Cujuslibet præterea oculi &

& divina contemplari possint & humana : sint quasi excubitores  
suprema hominis in parte collocati, conducentia ad salutem il-  
lius inde videntes commoda, &, quæ destruunt eandem, pe-  
ricula perpicientes. Huc faciunt illa Alstedii, in *Curf. Philos.*  
*Encycl. Lib. VII. Phys. Part. VI. C. II. n. xii. Oculi, inquietis, sunt in*  
*sublimi locati duas ob causas : ut nempe inde rerum discriminare ceteris di-*  
*judicent, & ex specula quasi prospiciant eminens nocitura.* Et paulo  
post: *Finis visionis duplex est: videl. nutrimenti indagatio, & cognitio*  
*rerum præstantissimarum.* Quibus addas licet Ciceronis verba,  
Lib. II. de Nat. Deorum quæ habet: *Oculi, tanquam speculato-*  
*res altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur*  
*suo munere.*

## §. II.

Duplex autem datur oculorum usus, spurius alter,  
quem abufum appellare malim, alter genuinus. Ille est, cum  
pro coeco libidinis propriæ ductu ad conditoris ludibrium, pro-  
ximi læsionem suumque ipsius damnum oculos dirigit & disponit:  
homo; juxtaque Xenoph: *ἐὰν τὰς ὀφθαλμοὺς ὁρᾷν, ἂν βέλονται:*  
a quo se abhorruisse semper Jobus dicit: Cap. 31. 7. *וְרָאָה עֵינַי*  
&c. *וְרָאָה עֵינַי* Genuinus autem ille est, qui cum ratione  
rectæque rationis ad dictamen instituitur ad præstanda cuique  
debita officia, indeque rectus nobis appellatur. De quo per  
reliquum dissertationis fusius,

## §. III.

Addidimus ea insuper verba: *in corpore humano*, ad tol-  
lendam vocabulorum ambiguitatem. Dantur enim, metapho-  
rice sic denominati, oculi mentis, qui nihil aliud sunt, quam  
rerum divinarum & humanarum cognitio seu sapientia. Un-  
de illud: *διπλαρὸν ὁρᾷσθαι οἱ μαθόντες γράμματα, & ἄμυ πρὸς οὐρανὸν*  
*καὶ ὀφθαλμοῦ λεύσασθαι.* Horum in mente oculorum maximus  
quoque datur usus, multo excellentior usu eorum, qui sunt  
in corpore, cum præter rationes reliquas præstantiori insint in  
subjecto, nobiliorem cognoscendi modum, nobiliorem-  
que cognitionis suæ sibi præfixum finem habeant. Horum autem  
oculorum cum usu nihil nobis impræsentiarum rei erit, tractatu-

ris eum, quem indigitavimus, quique, illi licet postponendus omnino sit, sua tamen defraudari non potest laude, premio: que suo non destituitur.

## §. IV.

Est itaque rectus oculorum in corpore humano usus, eorundem juxta sanæ rationis dictamen ordinata dispositio, quæ debito modo facta occasionem adipiscitur homo ea exequendi officia, quæ Deo, socio, sibique metipsi dependere a ratione jubetur: quæque evitantur e contrario ea, quæ amorem & DEI & proximi sui que ipsius rectum lædunt: ut divina hoc pacto circa oculorum creationem habita impleatur intentio, hominisque acquiratur felicitas & conservetur.

## §. V.

Generis loco hac in definitione ponere visum fuit *Dispositionem*, per quam non intelligimus *Logicam*; sed *partim oculis propriam & locomotivam*. Ita enim oculorum comparata natura est, ut non gemmarum in annulis ad instar uno semper infixi hæreant in loco; sed ex summa conditoris sapientia suo gaudeant motu. De quo Cicero de Nat. Deor. Lib. II. ita: *Lubricos oculos (natura) fecit, & mobiles, ut & declinarent, si quid noceret: & ad spectum, quo velent, facile converterent: partim moralem, qua præter versatilem motum naturalem pro libera hominis voluntate proque imperio affectuum varie disponuntur oculi. Et ea quidem, quam nos requirimus, libera sit oportet ab affectuum procellis, siquidem ad rectum oculorum facere usum debet. Alias enim novimus, quod Protei ad instar varias adsciscere formas oculi possint, nunc belluinam abire in naturam, nunc deposita hac in humanam reverti. De varia hac oculorum dispositione legere quædam excerpta est apud Alstedium l. c. Lib. VII. Phys. Part. VII. Cap. X. n. V. sic fluentia: *Oculi mirantur, adamant, concupiscunt, atque ita amoris, misericordie, iræ, & ultionis sunt indices. In audacia proflunt, in reverentia subsiduunt, in amore blandiuntur, in odio efferuntur. Gaudente animo hilares subridunt, moerente languescunt, irato exasperantur, in cogitatione quiescunt.* Hanc Lib. III. de Oratore Cicero etiam indigitat, de oculis quando ita disserit: *Hæc est una pars corporis, quæ, quos*  
animi*



*animi motus sunt, et significaciones & commutationes potest efficere.*  
 Gemella his vid. in sublequentibus.

§. VI.

Hanc dispositionem juxta *sanae rationis distamen* ordinandam esse diximus, ut excludamus ita eam, quæ fit *vel sine ratione*, ut in bestiis, quæ ventri ad præstandam obedientiam oculos adhibent; *vel contra rationem*, quando pro suæ quis prævæ naturæ arbitrio oculis utitur, qua de re supra §. 2. *vel supra rationem*, quam Theologicam dixeris, ubi v. g. præter id, quod oculi vident corporis, aliud concipiendum menti est, ut: Quando Simeon tenerimæ ætatis infantulum menti vider, eumque suum, omniumque adeo Judæorum & Ethnicorum Servatorem salutat, dicens: *Εἶδον ὁ ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριόν σου, δέσποτα.* Cum nulla vero ex hisce nobis quicquam impræsentiarum negotii est; sed in Philosophorum statione quia figendi pedesunt, eam requirimus, quam rationis rectitudo vult adhiberi.

§. VII.

Dispositio hæc de cætero *debito* instituenda modo est: per quem *excludimus partim* stupidum illum, quando attonito similis & tacto fulmine rem contemplatur, ejusque nec principium nec causas indagat homo. Crassioribus & vulgaribus Germanorum ita describi solet formulis: Wenn der Mensch eine Sache ansieht / wie die Kuh ein neu Thor. Oder: Er sieht mit seinen Augen drein / als wie eine Gans / wenn es Wetterleucht. *Partim* fugitivum, quando delatus oculus ad objectum aliquod ex impatientia ad aliud statim abripitur, ita ut de nullo accurati quid sentire, statuere vel judicare liceat; unde proveniunt sæpius illæ miseræ & lacrymæ, multi errores, v. g. in transcribendis vertendisq; libris. Qui ea propter oculos disponendi modus male audit a Salomone, insipientisque esse dicitur. Prov. XVII, 24. ubi verba Germanice ita sonant: Ein Narr wirfft die Augen hin und her. Insipientis enim ille est, si consideres *vel principium vel effectum*. Nam prodi hæc multifaria oculorum jactatio tumultuantes in animo affectus, quorum strepitus proficisci non nisi a stulto potest. Deinde reddit ea insipientissimos: *Impedit enim*, quo minus

in hanc illamve rem inquirere accurate hominis possit animus, cum objectorum multitudine & mole judicandi ejusdem vis laboret & demum obruatur. *Includimus autem & intellectum volumus eum, quem Physici requirunt: ut scilicet oculus & objectum visibile recte se habeant, justo distent spatio, & medium visionis sit diaphanum, perspicuum sive tralucens: eum quoque, quem liberum esse ab affectuum corruptorum astu oportet, attigimusque supra §. 5. eum tandem, quem accuratum dixeris, quo scilicet homo in rei visæ naturam inspicit penitius, ejus considerat causas, causarum inter se confert connexionem, ideoque ex speculatione diducitur ad voluntatis commotionem, ab hac ad officia præstanda delabitur.*

## §. VIII.

Hac igitur ratione si comparata oculorum dispositio est, sc. si juxta rationem instituitur, si nec stupida nec tralucida, sed cum Physice tum moraliter bona, si denique accurata est, homo non potest non adipisci inde occasionem suo in oculorum administratione rite defungendi officio. Ideo autem dico, quod suppeditetur homini occasio &c. ut hac ratione verum subjectum, quod circa officia oculis præstanda occupatum est, eruamus, hominemque illud ipsum esse statuamus. Nam officia non ab ipsis fiunt oculis, sed ab animo, sed ab homine per ipsos eorumque ministerium. *Mens enim est, nonnemine dicente, quæ per oculos, quasi per fenestras perlucens vitro, aut speculari lapide obductas transpiciat.* Hæc de re in sua de Oculiloquio dissertatione §. III. perspicue disputat Celeberrimus Altdorffinorum Professor B. Mollerus, cujus, ut olim, ita & nunc sequi libet institutionem. Ita autem ille: *Oportet oculum naturalem, si visio bene accurateque peragenda sit, recte esse dispositum, & post pauca: facultatemque imprimis sentiendi se recte habere: & quidem hac præcipue facultas recte se habeat necesse est, si visione quis sine errore defungi velit: ut ut enim oculus optime alias se habeat, sentiendi tamen rite facultas si absuerit, certe ineptum & iniquum emerget omnè, de rebus, solo visu perceptis, latum judicium. Enimvero & speculum recipere imagines, nemo, nisi quotidiana reclamaturus experientia, negaverit; speculum tamen non dicitur ea propter etiam vi-*

de.

dere, aut visionis munus quocumque modo obire, quippe quod sentiendi facultate destitutum iudicium ferre nequeat. Quid quod hominis quoque mortui oculus, licet requisita oculi naturalis retineat omnia, haudquamquam tamen videre vel conspiciere aliquid dicitur, facultate scilicet sentiendi et iudicandi destitutus. Tantum ille. Ut adeo appareat inde, quod homo rectum oculorum in corpore suo usum exerceat, isque officia iisdem prestare dicendus sit.

## §. IX.

His omnibus, quæ dicta hæcenus sunt, fundamenti quasi iactis loco superstrui poterunt reliqua, ubi de *objectis*, circa quæ rectus versatur oculorum usus, agendum nobis erit. Objecta quidem, oculorum sub sensum quæ cadunt, dantur innumerabilia, quod Salomon testari videretur Eccles. I. vers. 8. לֹא-תִשָּׂבַע עֵין לְרֵאיוֹתָי; Ex his tamen pauca eaque præcipua adduxisse nos, sufficere, & demonstrasse: quomodo rectus oculorum usus habere se erga eadem debeat. Erunt autem illa Deus, hominis socius, & ipsemet homo. Ex reliquis, quæ oculis subijciuntur, elici officia possunt, in Deum, hominem & ejusdem socium quæ redundant. Simul vero, de objectis dum agere mens est, commemorandus *modus* erit & *actus*, quem consistere in eo, ex definitione patet: ut homo oculis suis *tum* exequatur, quæ vult amor DEi, proximi & sui ipsius rectus; *tum* fugiat, quæ repugnare eidem videntur.

## §. X.

Esto igitur, a quo rerum semper capienda primordia sunt, DEus inter objecta hæc primum, ad quod recte dirigantur oculi. Sequendus hic Davides est, Psalm. 25. vers. 15. dicens: עֵינַי תָּמִיד אֶרְאֶה יְהוָה. At vero, cessare hic rectum oculorum usum, dixeris, cum, essentiam DEi quod attingit, oculis videri corporeis non possit. Oportet enim istud, quod videri debet, esse quantum, esse corpus, esse materiale; sed DEum non habere corpus, *tum* ex revelatione, *tum* ex ratione edocemur: quod pluribus stabilitum legas in Bajerii Theol. posit. Part. I. Cap. VI. de beatitudine æterna §. 18. n. a. Neque nos expositum hoc ita velimus, quando sub rectum oculorum  
B usum

usum cadere Deum asserimus, quasi sc. corporeis conspicendum se præberet oculis; sed ita: quod erga Deum quoque relictus oculorum usus exerere se debeat, vel: quod oculorum beneficio Deo præstare officia & possit homo & teneatur: Quod Alexander ab Alexandro confirmare videtur: *In oculis, inquit, quoque religionem fuisse.*

## §. XI.

Recte autem erga Deum usurpantur oculi, ad creaturas quando convertuntur, ex earumque contemplatione deducuntur officia Deo grata & accepta. Fieri hoc posse, Cicero etiam innuit lib. II. de nat. Deorum dicens: *Que contuens animus nempe oculorum ministerio, accipit ab his cognitionem Deorum: ex qua oritur pietas, cui conjuncta iustitia est, reliquaque virtutes.* Tollat igitur in coelum oculos suos homo, quorsum natura ferri videtur: Quod præter notissimos Poëtae versiculos alius ita restatum ivit:

Exemplumque Dei quisque est imagine parva:  
 An quoquam genitos, nisi coelo, credere fas est  
 Esse homines? projecta jacent animalia cuncta  
 In terra, vel merla vadis, vel in aëre pendent.  
 Omnibus una quies, venter, sensusque per artus,  
 Et quia consilium non est, & lingua remissa,  
 Unus & adspectus rerum, viresque loquendi,  
 Ingeniumque, capax varias educit in artes,  
 Hic partus, qui cuncta regit, fecesit in orbem,  
 Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,  
 Imposuitque viam ponto, stetit unus in arcem  
 Erectus capitis, victorque ad sidera mittit  
 Sidereos oculos, propiusque adspectat Olympum.  
 Quo collimant & Seneca verba in Ep. 94. *Illam (naturam) virtus  
 nostros erexit, et quicquid magnificentum mirumque fecerat, videri a  
 suspicientibus voluit. Nec abludit Cic. l. II. de Nat. Deor. inquit:  
 Sunt e terra homines non ut incole atque habitatores, sed quasi spectatores  
 superarum rerum atque celestium, quarum spectaculum ad nullum  
 aliud genus animantium pertinet. Adspiciat homo coeli ornamenta,  
 stellas & omne, quod in eo est, syderum genus: Per-*

pendat corporum coelestium naturam & motum. Ad terram ex coeli dilabatur machina, & stupendam istius animi lance ponderet accurate molem, Rura petas oculis, oculos in flumina figas : quo facto plurima, ad Deum quæ spectant, emanabunt officia.

## §. XII.

In hoc enim naturæ speculo, Numen aliquod esse, cognoscet homo. Facile enim suggeret ratio: nihil esse a seipso, ac proinde sua ipsorum virtute non prodiisse hæc; quapropter agnoscendum quicquam esse, quod iisdem sit prius. At unde hoc sit, si inquiratur amplius, cum nihil sit a seipso; Dubio succurret immota, naturæ quæ insita est, regula : quod ea abhorreat a demonstratione in infinitum, & sistendus tandem in aliquo priori sit animus, ultraque illud non evehendus. Ac proinde datur aliquid, quod omnium rerum est primum. Colligi autem ex creaturarum inspectione existentiam DEi posse, ipse Gentium Apostolus confirmat Rom. I. vers. 19. 20. *Τὸ γνωστὸν τῆς Θεῆς Φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσατο. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῶ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθεστῆκας, ἥτε διὰ Θεοῦ αὐτῶ δύναμις καὶ θεότης.* Sic. Cic. I. II. de Natura Deorum. *DEus homines humo excitatos celsos & cretos constituit, ut Deorum cognitionem caelum intuentes capere possent. Et hunc ipsum visionis finem Alstedius l. c. constituit: nempe cognitionem rerum prestantissimarum, puta creaturarum DEi & inde profectam ipsius creatoris agnitionem.* Unde & Plato oculos duces nobis esse dixit ad agnitionem DEi.

## §. XIII.

Cognito autem, esse aliquid creaturis omnibus prius, illud earundem principium esse, patebit, si sic intulerit post inspectionem animus: Primæ creaturæ aut a semetipsis fuerunt, aut ab eo, quod illis est prius. Sed non a seipsis fuerunt; nihil enim a seipso : Ergo fuerunt ab eo, quod illis est prius. Ac proinde illud ipsum earum creator est. Huc accedit Ambrosii lib. de Nöe & Arca cap. 17. *Per visionem aspicientes caelum, terram, maria, solem quoque, lunam & stellas, quibus axis ornatur, intelligimus, Deum esse operatorem mundi & rectorem.*

## §. XIV.

Jam probato per oculorum usurpationem & illationem animi, Deum mundi esse opificem; omnipotentia quoque ejusdem porro probabitur: Rerum creatio aut finitæ virtutis est, aut infinitæ; sed non finitæ, nam experientia, nihil plane producere homines ex propriis viribus posse, satis edocet; ergo est infinitæ, ergo creator eorum est omnipotens. Quibus ad stipulatur Peucerus in commentario de præcip. gen. div. ita p. 163. de incantationibus ubi agit, scribens: *Indidit Deus in prima creatione creaturis singulis certas vires, & certos agendi modos, accommodatos usibus certis, quos instituto a se tenore procedentes conservat & adjuvat, vim conferens, & rursus cum vult, vel intendit, vel remittit, vel inhibet, ut sæpe dixi: Est enim natura Dominus. Hoc DEi opus imitari nulla creatura potest.*

## §. XV.

Cum DEus juxta se in omnipotentia socium agnoscat neminem, concludere poterit homo; cum rerum gubernatorem esse & conservatorem omnium, quia itidem hoc omnipotentis est munus. Ex conservatione & gubernatione DEi agnoscet sapientiam, nec non suam ab eodem dependentiam, ac inde, ad obsequium eidem præstandum natura obstrictum se esse, confitebitur. Ex eadem quoque orietur omnipræsentia, & ex hac omniscientia divinæ cognitio.

## §. XVI.

Quod si gubernationem hanc & conservationem perspexerit, omnia cedere in hominis usum, cognoscat ulterius. De qua re pereleganter & scite Ciceronem audi differenter: Cujus ex ore mellitissimo hæc tantum impræsentiarum verba derivasse huc sufficiat lib. II. de nat. Deor. reperiunda: *Omnia, que sunt in hoc mundo, quibus utuntur homines, hominum causa facta sunt atque parata.* Reliqua legisse ibidem grave non erit, nec taxiosum. Quid autem inde? Scilicet bonitas inde divini Numinis ut hauriatur. Tanti igitur momenti est rebus oculorum in corpore humano usus! Tot ex accurata conditarum rerum inspectione, ceu ex fonte uberrimo, præstantissimorum erga DEum officiorum promanare rivuli solent; quo-

quorum omnium ineundæ recensionis cum pares haud scimus, ad secundum nunc propero pede transilimus objectam.

## §. XVII.

Id constituimus socium, seu proximum. Ad hunc convertendi etiam sunt oculi, ita quidem: ut in alium inspiciens homo, tanquam in speculum, inde sumat exemplum sibi. Nam, juxta illud, homines mutuo se inspicientes mutua sibi specula fiunt. Si quid igitur in alio videbunt oculi rectum, si quid gloria dignum, id sumet sibi justo ordine & debito homo imitandum. Si enim, naturæ obsecutus moderamini, ad felicitatem & gloriam, cujus omnium animis inhæret cupiditas, adspirat, facile ad aliorum honeste degentium premenda vestigia adducetur. Factum hoc fuisse a Julio Cæsare, in delinatione ejusdem vitæ Suetonius, Cap. 7. auctor est: *Ille animadvertens apud Herculis templum magni Alexandri imagine ingemuit: & quasi pertesus ignaviam suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset, missis tunc continuo efflagitavit ad captandas quam primum majorum rerum occasiones in urbe.*

## §. XVIII.

Cum oculi *καταπτερον τῆς ψυχῆς* appellandi, imo revera sint: proximus ut excipiat, allaborandum est, oculis, ex quibus animi bonitas resplendet. Irretorti itaque, non tamen præfractæ frontis, figendi in eum oculi sunt, hocque pacto animi patefacienda sinceritas est & confidentia. Nam juxta Xenophontem lib. VII. rerum Græcarum: *ἀνδρες ἀγαθοὶ δεδούκως ἐλείπεσιν ὀφθαλμοῖς.* Bene enim sibi conscientii nihil timent. Contra ea anima sibi male conscia oculos DEI & hominum erubescit, & penamque promeritam trepidat.

## §. XIX.

Hæc irretorta oculorum constitutio nihil derogare videtur submissioni, quæ erga Superiores oculis contestanda est inferioribus. Horum itaque oculi si illos contemplabuntur; dignitas overfabitur animo, quam vel animi præstantia, vel benignior fortunæ aura ipsis conciliavit, ac facile concidet ani-

mus, suam cum illa conferens fortem inferiorem, & oculi aliquam erga eos, arbitror, spirabunt venerationem, §. XX.

Inferiorem Te si adspexeris, lenes in illum benignosq; dirigit oculos, juxta illud Gallorum: Marque de la benignté en ton visage. Ejusmodi vero, qui lenitatem & benevolentiam indicant, dari oculos, Græci Pœtæ indigitare sine dubio voluerunt, quando vocabulo ὄμμα epitheton εὐμένεις apposuerunt sæpius. Cum fortunæ confictantem iniquitate si videris aliquem, Tuos ita usurpato oculos: ut ad dolendum vices ejus, opitulandumque ei vel consilio vel ope commovearis. Nam Cicerone teste, Lib. VI. Ep. I. ad Famil. *Oculi augent dolorem, qui ea, que ceteri audiunt, inueneri coguntur: nec avertere a miseris cogitationem sinunt.* Sic, cum aliquem offensum fortuna videret, minus bene vestitum, suum amiculum dedit Cimon. Quotidie sic cœna ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret, quod facere nullum diem prætermittebat, referente Nepote in ejus vita Cap. IV. En rectum oculorum usum ergo socios! Hunc Siracides etiam inculcat Cap. IV. vers. 4. 5. hoc modo: *ἐπίτην θλιβόμενον μὴ ἀπανάσθης, καὶ μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ πτωχῶν. Ἀπὸ δειόμενος μὴ ἀποστρέψῃς ὀφθαλμόν.* Ad ejusdem observationem provocat Jobus Cap. 31. v. 19. **אֵינִי אֲרֵאָוּרָא אֲבִיבִי לְבוּשׁ רָאִין בְּסוּרָא** §. XXI.

Fortes etiam sint oculi in subeundis periculis, intrepidumque præ se ferant animum. Quorsum illa Ciceronis Lib. XV. Ep. XI. ad Atticum: *Hoc loco fortibus sane oculis Cassius (Martem spirare dices) se in Siciliam non iturum.* Et in Orat. Pro L. Cornelio Balbo, *Quod si vultus C. Marii, si vox, si ille imperatorius ardor oculorum, si recentes triumphus, si præfens valuit adspectus: valeat auctoritas, &c.*

§. XXII.  
De æquis, quibus intuenda aliorum fortuna est, aliisque oculorum dispositionibus agere hic liceret, nisi infra, ubi fugi-



fugienda commemorabimus, expediri negotium hoc posse commodius, arbitraremur. Quare ad tertium Objectum, quod circa rectus oculorum versari usus debet, jam perveniendum nobis erit: quod hominem affirmavimus, suis se contemplantem oculis. Nam semet ipsum contemplari homo quoque debet: ut discat æstimare suam inde dignitatem, suam præstantiam ex animo relucentem, elegantem & admirandam humani corporis structuram texturamque: non ad fastum quidem concipiendum cristasque erigendas; sed ad calcar addendum sibi, dignam semetipso vivendi vitam, Nihil enim, quam homo, e terra genitum Deo similis. Est *ἄνθρωπος θανύκτων*, juxta Platonem.

## §. XXIII.

Accurate præterea etiam oculorum aciem in suam intendat fragilitatem, quam ex corporis debilitate, morborum varietate & vehementia expiscari facillime poterit. Nullum enim adeo in corpore humano membrum est, quod suis subjectum haud sit morborum generibus. Caput Cephalalgia, oculos ophthalmia, aures otalgia, dentes odontalgia, & reliquos, nescio quibus, laborare infirmitatibus solere artus deprehendet. Ex qua sui ipsius contemplatione id impetrabit commodi, ut sobrie sentire de se, & æquo animi passu incedere discat.

## §. XXIV

Dicta hæc sunt de iis, quæ amor DEi, proximi & sui ipsius requirit, & observanda sunt oculis ab homine, cum plura proferre in medium nostra haud ferat instituti ratio. Promissi itaque nunc memores ex altera parte adducemus pauca, quæ idem ille amor oculis vult evitata. Quando itaque res oculis haurimus a DEo productas, casu vel fortuna easdem extitisse, hæne censeamus, cavendum; sed id potius de illis ferendum iudicium est, quod de hominis natura sapienter tulit Cicero in sæpius commemorato de Nat. Deor. libello secundo, ita profatus: *Ex quo debet intelligi: nec figuram, situmque membrorum: nec ingenii, mentisque viam, valeam tessici potuisse fortuna.*

## §. XXV.

Abesse omnis ab oculis debet simulatio, ingenuitati a ratione imperatæ quæ adversatur, quæque in homine nescio quid

alit monstri, oculis vero melle sapidiorem simulat dulcedinem. Eximia inter ejusdem species hæc est; quando, Poëtæ utar verbis, ut fierent, oculos erudiere suos homines, & lacrymas pro consuetudinis ratione, quam ipsi fingunt sibi, profundunt, aut, ut Galli hæc eloquuntur, pleurent parce que c' est la mode. Quorum ex censu ille fuit, qui admonitus ab amico, in defendenda uxore ut modum teneret; cum virilis hoc non esset indolis, idem dedit responsi. Cujus rei cum non ingrata fore videatur B. Lectori relatio, integram hic appone eam licebit: Comme on consoloit un jeune homme de la mort de sa femme, il soupiroit, comme font tous ceux, qui se trouvent en tel état. Un de ses amis luy dit: Monsieur, cela ne sied pas trop bien à un homme de pleurer & de l' attrister de la sorte, vous devés avoir l' esprit plus tort; hé bien vôtre femme est morte, il est vray, que voulés vous faire? Hélas Monsieur, cen' est pas ce, qu' elle est morte, que je pleure, mais c' est, que c' est la mode, il me faut bien faire comme les autres.

## §. XXVI.

Si facinora deprehenderit in aliis, ita, credo utetur oculis; fugienda sibi illa esse ut autemet; cum sint felicitatis pestes & foecundissimæ infortuniorum omnium generices. *Imprudens enim est, qui ubi alium cecidisse vidit, eodem pervenit tamen. At in, inquiet, quotidie homines inter occasiones labi & perire vides, & non cavebis tamen?* Vid. Regularum vitæ tranquillæ secundam quas Summe Rever. D. Rechenbergius suo de studiis Acad. libello annexuit. Et consultius homini est, mores eorum fugere, quam in contemplatione eorundem visu immorari diutius. Facile enim ex congenita naturæ fieri potest labe, ut istorum pravitas intimius sese insinuet animis, quæ deinde difficulter exculpi potest. Nam, Plutarcho in suo de puerorum institutione C. VI. testante, *συναναχρῶννύμνοι βαρβαροι, καὶ τὸ ἦθ<sup>ος</sup> μοχθηροῖς ἀποφθεγονταί τι τῆς ἐκείνων φαυλότητος. καὶ οἱ παροικιαζόμενοι δὲ Φασιν ἐκ ἀπὸ τρόπων λέγοντες, ὅτι, ἀν' ἁλωῖ παροικίης, ὁ πρῶτος ἐκείνων μαθήση.*

## §. XXXVII.

Cum Jobus, se pepigisse cum oculis suis foedus Cap. 31. v. 1. dicat, ne venetur inde illicitum foeminarum adspectum animus; elicere hinc fas erit: quod avertendi sunt oculi, ne videant vanitatem. Nemo equidem injurius adeo, arbitror, in sexum utrumque erit: ut viris interdiceret foeminarum contemplatione, aut arceri has ab eorum adspectu penitus velit. Aliud sane, quod omnium mentibus inscripsit provida natura, se sui que simile conservandi suadet desiderium ad mutuam visionem eosdem invitans. Aliud suadet necessitatis conditio, & rerum humanarum ordo bene constitutus. Disuadet hoc utilitas; cum dignoscere utriusque sexus & mores & affectus posse pulchrum sit & proficuum. Sed quia juxta Poëta verba:

Facile hæremus, validoque perurimur æstu,

Et nimium certa scimus amare fide,

Temperandus hic sexui utrique adspectus est. Obfirmandus hic oculorum sensus est honestatis repagulis, non laxanda libidini sunt habenæ, nec referendæ statim voluptatum pruritus fores sunt & aperiundæ. Non faciendum hic cum Dido ne: de qua Virgilius Æneid. lib. IV. v. 4. canit, quod hæserit infixus Didonis pectore vultus Æneæ; sed hic juxta Isocratis effatum ἡμόνον δὲ τὰς χεῖρας ἔχειν παρ' αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐφθαλμῶν. Locum hic habet tritissimum in ore Gallorum proverbium: Les honêtes femmes. liceat addere, les honêtes hommes, n'ont point d'yeux n'y d'oreilles. Satis enim notum esse cuilibet existimo, quot quamque sancti Viri ex illicito hoc intuitu castitatis suæ passi naufragium fuerint, Gen. VI, 2. בְּיַמֵּי הַלֵּלוֹת אֲרֻבְכּוֹת הָאָרֶץ כִּי טִבַּת הַתְּהוֹמָה וְהַקֶּתֶר; וְהָיָה לְהֵם מִכָּל אִשָּׁר בְּתוֹרָה; Quare multis, &, maximi ponderis quæ sunt, verbis ab eodem dehortatur Siracides, Cap. 9. v. 3-13, inter quæ illis v. 3. μὴ ἀπὸ πάντα γυναικὶ ἐταρῖζομῆν, μὴ ποτε ἐμπέσῃς εἰς τὰς παγίδας αὐτῆς v. 5. παθὲν μὴ καταμάνθῃς, μήποτε σκανδαλιώθῃς ἐν τοῖς ἐπιτιμίοις αὐτῆς, κτλ.

Nec ita detorquendi sunt in alios oculi, quasi stringendi ipsorum

rum acie illi sint, aut, uti Germani hoc exprimunt, als wenn man einen mit den Augen erstechen wolte. Ex quo oculorum gestu in animo latitans ira prorumpit, quem Poëta ita describit:

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,

Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

Hunc affectum ex Caini oculis effulsisse in propatulo est, quando de eodem legitur Genes. IV. v. 6,

וַיֵּאמֶר יְהוָה אֶל-קַיִן וְלָמָּה זֶה עָשִׂיתָ  
לִמְדוּתָהּ הִנֵּה דָם בְּפִיךָ עֹשֶׂה

§. XXIX.

Cavendum etiam est, ne invidio aliorum fortunam prosequamur oculo, qui Ebr. per  $\text{עין ער}$  & Gr. per  $\delta\phi\theta\alpha\lambda\mu\delta\nu\ \pi\omicron\nu\eta\rho\delta\nu$  exprimitur: Qualis in Labane, Jacobi focero, erga generum erat. Nam certe peccant ejusmodi livore suffusi oculi in bonum publicum, quod aliorum promoveri sorte ægre ferunt; de cujus tamen salutis incremento gaudere vehementer deberent. Peccant in se, dum irritis hisce in alios insultibus dilacerant semetipfos & quiete animi dispellunt. Et hæc ignorant hujusmodi furfuris homines longas Deo manus esse & aliud in terra dari spatium, quod suos quoque alere possit colonos.

§. XXX.

Non ita infigendi sunt auri argenticque acervo, ut mores Jobianos averfatus quis dicere de eodem velit:  $\text{כֶּסֶף וְרִמְבָּמָה}$  Est enim secundum Plutarchum l. c. C. 8.  $\text{πλᾶτ}\text{Θ} \text{τίμιον μὲν, ἀλλὰ, τύχης κτῆμα, ἐπειδὴ τῶν μὲν ἔχοντων πολλαῖς ἀφάλλετο. τοῖς δὲ ἐκ ἐπι-σασι Φέρεται προσήνεγκε, καὶ ὁ πολὺς πλᾶτ}\text{Θ} \text{ὡς σκοπὸς ἐκκεῖται τοῖς βυλαμένοις βυλάντια τοξῆνιν, κακῶς γοις οὐκέτας καὶ συνοφάνται. Καὶ τὸ μέγιστον, ὅτι καὶ τοῖς πανηροτάτοις μέγιστι. Quocum facit Isocrates Or. I ad Demonicum hoc tenore:  $\text{πλᾶτ}\text{Θ} \text{κακίας μᾶλλον, ἢ καλοῦ καθίας ὑπηρετης ἐστίν, ἐξ ἧσιν μὲν τῇ βραθυμίᾳ παρασκευά-ζον, ἐπὶ δὲ τὰς ἡδονὰς τὰς νέας παρακαλῶν.}$$

§. XXXI.

Abstrahendi etiam oculi sunt ab immodica cibi potusque contemplatione, nec semper circumvolutandi in patinis oculisve, ne luxuriæ inde resultet vitium, hocque pressò insequens pede lasciviæ malum, sicut Salomon Prov. 23, v. 31. 32. 33. foetus hos

hos ordine hoc predeutes depingit: אֲמַרְתָּהוּ בֵּן פִּי יִרְאֶם  
 כִּי־רָחַק בְּפִנּוּס עֵינַי יִתְחַלֵּף בְּמִשְׁרָיִם: אַחֲרֵיתוּ בְּנֵהשׁ יִשָּׁף  
 וְכַעֲפֵנִי יִפְרֹשׁ: עֵתָּה יִהְיֶה זְרוּרָת וְלִבְךָ יִבְרַר תְּהַפְּכֶנָּה:

§. XXXII.

Ab intempestiva etiam sui ipsius inspectione homo sibi caveat, ne admiratus suam pulchritudinem ea experiatur fata, quæ Narcissus, amplexari corpusculi sui elegantiam cum vellet. Nolit itaque homo, in talem a formæ venustate ut abripiatur, furorem & mentis insaniam, permittere. Nam καλλῶ περιμάχτητον μὲν, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον, auctore Plutarcho, l. c. & Isocr. Orat. a Demonium 1. καλλῶ μὲν ἢ χρόνῳ ἀνάλωσεν, ἢ νόσῳ ἐμάχων.

§. XXXIII.

Restat ut tribus adjiciamus verbis, magistratui etiam rectum oculorum in corpore usum competere, qui inter alia in eo officio consistit: ne προσωπολήψια labore vitio, omne diruentis jus, omnisque ex adverso injustitiæ matris.

§. XXXIV.

Nec liberi ab hoc oculorum usu pronuntiandi parentes sunt, qui in filiorum vitia accurate intendere oculos debent: ne blanda patrū segnes ferat indulgentia natos, nec de iis dici aliquando possit, quod de Eli Deus profatus est, 1 Sam. 3. v. 13. שׁוֹפֵשׁ אֶבְרָתְךָ בְּיָדוֹ: עַד עוֹלָם בְּעֵינַי אֲשֶׁר יִרְעֶ בְּיַמְקַלְלִים לָהֶם בְּנֵיוֹ וְלֹא כְהָרֹחַ בָּם:

§. XXXV.

Hac aliaque ratione, cujus impræsentiarum modos plures recensere constitutum nobis non est, si disponantur oculi, his tandem obtinebitur feliciter: intentio scilicet, quam circa oculorum productionem fovit divinum Numen; Et felicitas etiam videntis, quæ visu impetrari potest, obtinebitur conservabiturq; perpetuo, nec querendum ipsi aliquando cum Pœta erit: Cur aliquid vidi, cur lumina noxia feci? sed aliorum sibi favorem ingenuitate sua & recta vultus indole de facili pariet, comibus atque oculis allicietur amor, ex sententia Pœtæ.

§. XXXVI.

Atque ita communicare hæc cum B. L. de recto oculorum in corpore humano usu & libuit & licuit: quæ licet non fore ha-

hariolemur ejus ut pascant oculos; dextris tamen ab illo susceptum iri speramus, *π ανόμιον* esse neminem, nosque *ἀμειλιωπία* decumbere adhuc graviter, si recordabitur. Cæterum prolixo ejusdem Affectui nos commendantes Deum rogamus humillime: illumque & me oculis suis dirigere ut velit clementissime. Tantum?

S. D. G.

*Συναγωγία* Disputationis.

- |  |   |
|--|---|
| <p>§. I. <b>D</b>atur usus oculorum,</p> <p>§. II. <i>Spurius</i> &amp; <i>rectus</i>,</p> <p>§. III. <i>Qui diversus est ab usu oculorum mentis</i>,</p> <p>§. IV. <i>Et definitur</i></p> <p>§. V. <i>per dispositionem oculorum</i></p> <p>§. VI. <i>ad sane rationis dictamen</i></p> <p>§. VII. <i>debito modo institutam</i>,</p> <p>§. VIII. <i>unde homo sumit occasionem prestandi officia</i></p> <p>§. IX. <i>Deo, socio, sibi metipso duplici modo</i>,</p> <p>§. X. <i>exequendo, sc. mediis oculis agnoscendo Deum, non quidem in essentia;</i></p> <p>§. XI. <i>Sed in creaturis</i>,</p> <p>§. XII. <i>ut vere existentem</i>,</p> <p>§. XIII. <i>ut conditorem rerum</i>,</p> <p>§. XIV. <i>ut omnipotentem</i>,</p> <p>§. XV. <i>ut gubernatorem omnium &amp; conservatorem, ut dominum, ut omnipresentem &amp; omniscium</i>,</p> <p>§. XVI. <i>ut verum</i>.</p> <p>§. XVII. <i>Socium imitando, si bonus est</i>.</p> <p>XVIII. <i>Oculos habendo irretortos erga quoslibet</i>.</p> <p>§. XIX. <i>Submissos erga superiores</i>.</p> <p>§. XX. <i>Benignos erga inferiores &amp;</i></p> | <p><i>miseri cordes erga miseros.</i></p> <p>§. XXI. <i>Fortes erga hostes.</i></p> <p>§. XXII. <i>Oculis contemplando suam dignitatem,</i></p> <p>§. XXIII. <i>fragilitatem.</i></p> <p>§. XXIV. <i>Fugiendo, non ita contemplando creaturas, quasi fortuna extent.</i></p> <p>§. XXV. <i>Avertendo oculos a malis moratis.</i></p> <p>§. XXVI. <i>cavendo, ne oculis insit simulatio.</i></p> <p>§. XXVII. <i>Ex illis emicet vaga libidō,</i></p> <p>§. XXVIII. <i>Ira,</i></p> <p>§. XXIX. <i>Invidia,</i></p> <p>§. XXX. <i>Auri sacra fames,</i></p> <p>§. XXXI. <i>Luxuria.</i></p> <p>§. XXXII. <i>Ne intempestiva suis suis contemplatio precipitet in fastidium.</i></p> <p>§. XXXIII. <i>Sp. Magistratus abstinere debet a <i>π ερ ο σ ω π ο ο λ η ψ ί α</i> vitio.</i></p> <p>§. XXXIV. <i>Cavendum parentibus, ne conniveant in liberorum flagitii.</i></p> <p>§. XXXV. <i>Unde impetratur Finis, rat. DEi, ejus circa oculos conditos intentio, rat. hominis, felicitas ejus.</i></p> <p>§. XXXVI. <i>Clausula adjicitur.</i></p> |
|--|---|

\* (o) \*

p. 9. §. ix.  $\Psi$  pro  $\Omega$  p. 14. §. xx. l. 9. vicem.

ULB Halle  
003 620 00X  
3  


Sb.

VJ  
17









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

50. 50.  
J. A. ET Q. J.

56

DISSERTATIONEM

DE

RECTO

OCULORUM

IN

CORPORE HUMANO

USU

VULGO

Von dem rechten Gebrauch der leiblichen Augen.

DIVINIS SUB AUSPICIIS

INCLYTO PHILOSOPHORUM INDULGENTE CONCILIO

D. XXIII. MAJI ANNI MDCCXI.

VENTILABUNT

M. HIERONYMUS Gießmann/  
Großbard, Mifn. Alumn, Elector.

ET

JOHANNES CHRISTIANUS Thielemann/  
Nemtaviens. Mifn.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis BRANDENBURGERIANIS.